

Al. 3865.

DOGMATA
VETERUM ET RECENTIORUM
MEDICORUM EORUMQUE IN
PRAXI MEDICA USUS.

DISSERTATIO MEDICA INAU-
GURALIS

QUAM

IN UNIVERSITATE CAESAREA DORPATENSI
CONSENSU ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS

PRO

GRADU DOCTORIS MEDICINAE
RITE CAPESSENDO

LOCO CONSUETO

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR,

THEOPHILUS FRANCISCUS IMMANUEL

SAHMEN,

LIVONUS.



XXIII: 14

DORPATI
LITERIS MICHAELIS GERHARDI GRENZII
TYPOGRAPHI ACADEMICI,
MDCCCXI.

~~2240 34~~

Imprimatur.
D. X. Maii MDCCCXI.

D. M. E. Styx,
Censor.

VIATIK?

I n t r o d u c t i o .

Scientiae Medicae historiam perlustrantes rationes, quibus quisque vitae, ejusque formarum, valetudinis secundae et adversae, originem expedire conatus sit, maxime ita differi conspiciamus, prout haec vel illa vitae animalis pars menti ejus obversaretur, et prout in proximis organismi ponendis qualitatibus, ad quas vitae phaenomena referbantur, acquiesceret, an ad earum principia ascendere conaretur. Tantoque aliam alii theoriam, ex eaque prodeuntem curandi methodum praestare intelligimus, quanto magis in ea excogitanda omnes vitae partes respicerentur, quantoque magis harum summa principia peterentur, neque in his inquirendis hypotheses, sed re experta consulerentur. Theoria enim scientiae empiricae

a cognitione phaenomenorum exire debet nulla eorum negligens, propriumque eorum disquirens. Relationem phaenomenorum ad causam vi supposita designans, hujus leges ei explorandae sunt. Quare nihil vitae animali cognoscendae adeo favit, quam nova experimentis vel cultro anatomico reperta. Quam prosperam haec tam magnam philosophiae systemata omnium temporum in mutandas medicorum opiniones vim exferuerunt.

Quae momenta respicientes historiam medicinae duas in sectiones praecipuas distinguere possumus; quarum prima eo distincta est, quod in ea materiae natura, vires ejus agentes, leges, quibus hae obediuntur, nondum exploratae erant, sed vitae phaenomena tantummodo ad qualitates referebantur, hisce vero illa, quae pluribus phaenomenis communia observarentur, exprimebantur. Eandem igitur fingendi quodam conatu insignem videmus, quo ex philosophorum de rerum natura cogitatis illa

deducere tentarent; fingulas vero theorias hujus periodi porro in eo differri, quod pars magis humores corporis humani attendat, pars autem solidas partes; pars denique ad materiam sensibus haud perceptam refugiat, ad vitae phaenomena, morborumque ortum explicanda.

Secunda vero originem ab eo tempore trahit, quo materiae natura, legesque, quibus ageret, inquiri coeperunt. Ex materiae phaenomenis igitur harum causae petebantur, eaeque theoriis condendis pro fundamento substernebant. Hinc autem fieri non potuit, quin etiam fictiones admitterentur, quas errores sequi necesse erat. Dividi autem hanc sectionem in duas partes ideo postulatur, quod vitae organicae leges ab iis naturae anorganicae differri, non statim animadvertebatur; et in hoc momento differentia illarum est posita, quod altera, vitae phaenomena ex legibus materiae anorganicae petebat; altera vero, leges physicas et chemicas ex actionibus naturae organicae

prorsus excludere tentabat. Utramque partes recentiores reconciliare studuerunt. Ejus vero, quae organismi leges, ab iis legibus naturae inorganicae nondum discrevit, pars aut magis leges chemicas in organismo valere putare debebat, cum magis in liquida animum adverteret; aut magis mechanicas solida scilicet respiciens; aut ad spiritus vitalis cujusdam vires denuo refugere, quia illas utrasque non sufficere intelligebat.

Quomodo magis aut minus variae pathogeniae in historia medicinae iis responderint, quae a theoria medicinae exegimus, quidque inde evenerit curandi methodo, sequentibus pro virium nostrarum, quae quam sint exiguae nos non latet, ratione illustrare tentabimus.

S e c t i o p r i m a.

§. I.

Philosophorum quaedam opiniones.

Conatus, philosophiae praecepta in corporis humani actionibus explicandis adhibendi, philosophis ipsis principium debetur, cum philosophos Jonicos primos corporis humani, functiones explicare tentasse constet. Majore autem in theoriam medicinae momento Eleaticorum philosophorum cogitata de formatione universi fuerunt, quorum inprimis tres sunt memorandae de rerum natura opiniones, quoniam in medicorum sequentium scriptis eas iterum offendemus.

Sicut jam Pythagoram caloris formas corporum mutans, vitamque organicam

eliciens ac fovens vis adduxerat, ut aetheri, materiam formanti, vitaeque auctori igneam tribueret naturam; ita etiam Parmenides calido s. lucido formantem vim imputavit, tenebris sive frigido autem, altero scilicet, ex quo mundus constet, formarum capacitatem. Empedocles quatuor elementa, ignem vel calidum, aërem vel frigidum, aquam vel humidum, terram vel ficcum, posuit, quae initio in chaos permixta, repugnantia sive vi repellente disjuncta, tum autem amicitia sive vi attrahente denuo conjuncta, corpora, quibus universum constituitur, ediderint. Quae duae vires, continuo adhuc elementa sejungentes atque miscentes formarum mutationes vitaeque phaenomena efficiunt. — Heraclitus denique ex igne cuncta prodiisse arbitratus est. Ex igne enim condensato aërem, ex hoc eodem modo aquam, ex hac terram fieri, et ita rursus haec expansione in ea, ex quibus erant facta transire. Ignis ei principium vitae et motus erat, cui propterea

mentem inesse et apud mortales sanguinem sedem assignatam putavit.

§. 2.

Hippocrates.

Ut igitur ad medicorum hos frequentium opiniones transeamus, Hippocrates quidem, quibus viribus, quibusque legibus organismi mutationes parere cogitaverit, non plane explicuit. Magnum, ut arbitramur, perspicacitatis illustrissimi viri documentum, quem latere non potuit, quibus studiis medicina esset excolenda, in eo, quo tum temporis stabat perfectionis gradu. Quare, praetermissa contemplatione, ea, quae experientia docentur, et in posterum fundandae theoriae inservire possent, colligere, posterisque tradere conatus est. Attamen celare non potuit, se Empedoclis sententiae de quatuor elementis adhaerere. Sicut enim Empedocles ignem, omnium elementum efficacissimum et subtilissimum vitae animalium causam putabat, ita et Hip-

pocrates calorem innatum vitae animalis autorem duxit (Aph. I. 14. 15. Ed. van der Linden, Lugdun. Batav. 1665.) Prout in corporis humani partibus quaedam quatuor elementorum qualitatum praecelleret, ita huic actiones illarum respondere persuasum sibi habuit. (Aph. II. 53. IV. 13. V. 62.) Caeterum his ad exponendum, qua ratione morbi generatim fiant, nunquam est usus, quamquam interdum nonnullorum morborum causam proximam attulit. Curandi methodus ejus igitur magis noxia arcere et remove studebat, quam actionem naturae mutare. Optima sane agendi ratio, quam tum temporis medicus permittere sibi poterat.

§. 3.

Schola dogmatica. Scripta Hippocrati subdita.

Subtilioribus jam in meditationibus sunt versati, qui medicis in rebus scribendis Hippocrati succedebant, et quorum libri ejus

operibus adnumerati sunt. Major eorum pars Platonis opinionibus assensisse videtur, quanquam in nonnullis etiam antiquiores sententiae Eleaticorum elucent. Itaque opus erit Platonis de corporum natura cogitata adferre.

Materiae Deus formam addidit ad idearum exemplaria ex triangulis varias figuras materiae componens, quibus quatuor elementorum differentia, eorumque qualitates efficiuntur. Quamobrem elementorum aliud in aliud transit, si ipsa denuo in partes minutissimas solvuntur, quae, nova conjunctione inita, alias figuras constituunt. Ignis calor principium agens est, in corporibus viventibus et in sanguine sedem habet. Etiam morbi quemadmodum fierent, exponere tentavit. Proximam eorum causam in dispropotione elementorum corporis posuit. Differentiam eorum ex humorum depravatione petendam esse. Bilem atram, acrem nasci musculorum veteribus durioribus partibus, bilem flavam recentibus, tenuioribus calore

liquatis. Carne tenui recente colliquata cum aëre, phlegmaticam humorum degenerationem, partim sulfæ, partim acidæ naturæ oriri. Medullæ corruptione morbos maligniffimos generari. Omnes spasmi, doloresque graves ex spiritu pendent. Ex bilis inflammatione plerique morbi acuti et inflammatorii, epilepsia, morbi chronici atrabiles oriuntur, ex phlegmate plerique catarri, ex ignis abundantia febres continuæ, ex aëris nimia quantitate quotidianæ, ex ea aquæ tertianæ, ex terra quartanæ. *)

§. 4.

Operum Hippocratis spuriorum primus liber de natura humana hic considerandus venit, qui, Aristotele testante, Hippocratis genero, Polybo, auctori debetur. Ex quatuor qualitatum elementis corpus humanum compositum esse, et in se conti-

*) Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde von Kurt, Sprengel. Halle. 1ster Theil. S. 286.

nere quatuor humores: bilem atram et flavam, sanguinem et pituitam, ibi dicitur (V. 5.) Horum mutua aequa relatione persistente sanitatem, hac interrupta vero morbum effici, cum humor aliquis vi vel quantitate ceteris praestet, vel iis non rite mixtus sit, ibique ubi sejunctus stagnet, dolores et labores oriri. Cum in anni singulis temporibus, sicut in corporis humani humoribus, semper quaedam quatuor qualitatum emineat, increfcere auctor putabat et decrefcere singulos humores pro anni temporum differentia. (V. 13.) Pituitam hyeme, quippe frigida, sanguinem vere, calido et humido vigere, bilem aestate et autumno vigere, praecipue atram autumno. Febres differri quantitate bilis, continentem a plurima bile manare, tum quodianam jam a minori, tertianam a minori etiam, a minima et atraquidem quartanam. Ab iisdem humoribus modo calescentibus, modo refrigeratis, modo humefactis, modo resiccatis, modo inspissatis aut aberrantibus, stagnantibusque

denique morbi derivantur etiam in libris de affect. de affect. intern. et de morb. Bilis atra sicca, bilis flava humida sanguis calidus, pituita frigida putabatur. Ex principiis illis auctores horum operum singulos morbos derivarunt, modo hunc, modo illum humorum peccantem inculpantes, saepe haud liquente argumento, saepe vero etiam ad morbi causam, naturam vel sedem respicientes. Diffusius in libro IV. de morbis differitur de origine morborum: Ex cibis assumtis attrahuntur humores a corpore, praesertim vero bilis hepate, pituita capite, sanguis corde, aqua splene. Ut ex ventre hi humores attrahuntur, ita post aliquod tempus, novis effluentibus, excernuntur per nares, os, anum et urethram. Si vero interdum commorantur nimis, expletio oritur, venae premuntur, humores calefcunt, fitque inde febris. Sanatur homo, si evacuatur id, quod nimium est et nocet; moritur autem, si propter debilitatem respirare amplius nequit, id que, quod vitale in humoribus est,

expiratur. Est autem alia morborum causa violentia externe allata. Tertium, qua morbi pariuntur in aëre quaerendum. Si enim aliquid morbo propensum est in homine, acceditque noxium aliquid ex atmosphaera, humor calefcit ideoque turbatur. Hoc motu sejunguntur humores in corpore. Cujus horum forte plurimus inest corpori, is locum sibi petit commodissimum, circumfertus, corpus calefcit, febremque efficit. Sanatur homo, si humor iste ceteris aequatur; moritur, si humor calore putrescens putredine ceteras invadit partes, tandemque omne corpus corrumpit. Frigus febrium oritur, dum humorum pars coagulata ceteris miscetur; calor vero, cum humor alicubi stagnans partes propinquas ad febrem concitat, ceterisque fluidis tum mixtus circumfertur.

Cum leges, quas in morborum singulorum causis exponendis sint secuti, non plane expediri posse videntur; eorum pathologia specialis nostri non ita commode com-

parari potest. Tantum vero liquet scripta illa legentibus, a pituita plerosque catarrhos et rheumatismos deductos esse. Bili pleraeque febres acutae universales et inflammationes in abdomine tribuuntur.

§. 5.

Quidnam ad veritatis cognitionem haec theoria adtulerit, si considerare volumus, apparet primum, eam modo caloris animalis ad vitae phaenomena relationem *) respexisse et humores corporis, exstructamque esse in philosophorum opinio-num fundamento. Quare non tam in inquirendis viribus et legibus, quibus quicquid in humano agat corpore, versata est, quam in fingenda ratione, qua talia phaenomena produci forsitan possent. Neque aliter evenire poterat cum corporis humani functiones explicare tentatum sit, deficientibus adhuc fere omnibus anatomicis, phys-

*) Maxime haec in libro I. de diaeta exposita est, cum corporis humani variae diatheses in

ficis et chemicis cognitionibus. Praeter fictionem igitur reprobandum ei etiam est, quod non omnes vitae partes ante oculos habuit.

Quid nam vero in methodum medendi valuerit, quod attinet, medicamentorum effectus ex qualitatibus differentia deductos invenimus in libris de diaeta. Quae nostris ita fortasse comparari possunt. Pleraque, quae nos excitantia putamus, calefacientia dicebantur; exsiccantia vero ea, quae sensibus jam ficciora apparent, aut minimum

eo ex qualitatibus discernuntur. Mentionem ejus facimus, quia hic analogia quaedam cum recentioribus offenditur. Calida vel frigida corporis qualitate majorem minoremve irritabilitatem, siccitate fibrarum majorem cohaesionem; quatenus ei major reagendi vis adjuncta est, humiditate majorem fibrarum laxitatem exprimi putamus. Quae a recentioribus in eo maxime differri videntur, quod illic in qualitatibus, varios corporis diatheses comitantibus horum causa ponitur; nos vero qualitatibus non contenti vel ad vires, quibus illae efficiuntur, regressi sumus.

alimenti praebent, aut humores detrahunt; humectantia vero ea, quae humidiora jam se exhibent, aut magis alimenti praebent corpori, aut secretiones augent; refrigerantia, quae stimulo carere vel stimulum adimere putamus. Ceterum quisque humorum suis medicamentis evacuari putabatur. (De aff. 35.) Pluribus locis hoc medendi principium defendi reperimus, contraria contrariis opponenda esse. (e. g. De nat. hum. 17.) Quare etiam qualitati eminenti in humore peccante opposita diaeta jubetur (de aff. §. 20. 21.) Maxima autem curationis pars in evacuando humore peccante erat posita, quod drastis, emeticis laxantibus, venesectionibusque effici tentatum insigni aegrotis damno fuit. Praeterea vero etiam symptomata sedationem assequi studebant, diaeta, balneis etc.

§. 6.

Schola pneumatica.

Vitae principio, caloris animali, disciplina dogmatica minores quodammodo par-

tes in generandis morbis imposuerat. Morbi enim soli humorum calore aucto vel diminuto orti ei tribuendi erant, maxima vero pars, quae a mutata quantitate vel forma, locive errore deducebatur, proxime causis mechanicis nitebatur et ad vitae principium tantum modo referenda erat, quantum humoribus illis qualitates igni vel propriae vel contrariae exprimerentur. — Arctior in pneumaticorum medicina nexus vitae principii, *πνευμα* apud eos dicti, apparet cum vitae forma in morbum mutata.

§. 7.

Pneumaticae disciplinae origo non quidem separata est a dogmaticae sectae historia, quoniam haec in illam transit, florente methodica schola. Jam etiam in Platonis praeceptis spiritus vitalis nobis repraesentatur. Nam apud eum ignis, qui digestionem patrat, spiritus volatilis forma, cum alimentis confectis in vasa transit, ideoque nutrimentum per corpus omne diffunditur.

Eandem doctrinam offendimus quibusdam in Hippocrati subditis libris e. g. de diaeta I. 11. De carn. 7. Magis vero etiam excolebatur ab Aristotele. Qui maxima parte Platoni assensit in corporum naturam exponenda, quippe qui omnia corpora ex elementis composita esse duxit. Haec eodem modo, quo Plato, definivit, ignem naturae calidae et siccae, aquam humidam et frigidam, aërem humidam et calidam, terram siccae et frigidam. Ex his igitur corporis animalis partes componuntur, primum quidem simpliciores e. g. membranae, vasa, tendines; ex his vero partes compositae e. g. viscera etc. In anima naturae non dividendae posita est vis, qua actiones vitae perficiuntur. Locus ei est in sanguinis calore, quo medio in agendo utitur. Nascturque igitur in corde.

Ita etiam stoici philosophi per totum corpus diffusam animam quandam igneae naturae existimabant, qualem etiam universi animam fingeant. Hujus opere corporis

functiones nonnullae fiunt. Exhalatur eadem ex sanguine ejusque calor aëre inspirato mitigatur.

§. 8.

Erasistratus.

In his Erasistratus novam medicinae theoriam exstruxit. Locum huic spiritui arterias assignavit, quo pulmonibus inspiratus per venas pulmonales perveniat; sanguini autem venas. Spiritus ope musculorum actiones fiunt: contractio enim repletis, relaxatio vero evacuatis spiritu musculis. Ita etiam alimentorum concoctio tum spiritu, tum membranarum ventriculi tritione perficitur. Et in organorum reproductione, quae sanguinis partium appositione fit, spiritus minimarum arteriarum una cum venarum sanguine agit. Morborum originem mechanice ex humorum spiritusque aberratione derivabat. Febres inflammationesque sanguine in arterias penetrante oriri, quare etiam aegrotos cibis carere et venas ligari

juffit, ne ex iis in arterias fanguis penetra-
ret Caeterum diaeta, balneis tepidis, clys-
matibus, emeticis, exercitationibus in me-
denda commodo est ufus. Venae fectioni
et laxantibus inimicus fuit,

§. 9.

Schola pneumatica proprie
fic dicta.

Schola proprie fic dicta pneumatica ab
Athenaeo condita eft. Medici huic adhae-
rentes plerumque tum illud pneuma, quam
qualitates in morborum natura exponenda
refpiciebant. E. g. Calidum, humidumque
aeque conjuncta fanitatem efficiunt, cali-
dum et ficcum morbos acutos, frigidum et
ficcum melancholiam, frigidum et humidum
morbos phlegmaticos. Corpore mortuo
omnia reficcantur, frigeſcunt. Putredinis
nomine omnes humorum depravationes
fignabant, quae omnium acutorum caufa ha-
bebantur. — Plures Aretaeus morbos ex
ſpiritus qualitate pendere duxit, prout cali-

dior vel frigidior, tenuior vel ſpiffior, ſegnior
vel magis ſtrenuus fit, vel etiam alicubi
includatur, accumuletur. Sed apud eum
etiam magna morborum pars ex qualitatum
inter fe relatione deducuntur.

§ 10.

Non majora veritatis cognitioni effo-
lumenta ſe praefitiffe, quam dogmatica,
haec ſchola pneumatica contendere poteſt,
ſchola cum naturae leges, experientia do-
cendae eam pariter laterent. Attamen prae-
cipue quemadmodum ab Aretaeo docta erat,
felicius jam vero appropinquavit, cum jam
vis vitalis quaedam conjiciebatur, quae ni-
mis arcte modo ſpiritus tribuebatur. Ne-
que penitus in organiſmi oeconomiam pe-
netravit, quanquam jam plura momenta
refpiceret. Praeter enim illud actionis prin-
cipium qualitates materiae et imprimis hu-
morum errorem et depravationem inter
morbos caufas referebant. Pathogenia,
quae ex humorum ſpiritusque errore mor-
bos derivabat, in praxi errores parere de-

bebat, quale ligandi venas praeceptum apud Erasistratum. Maxime vero Aretaei pathologia, quae non tam in materiam, quam in spiritus qualitatem advertit, experientiam sequi sinebat, cum non materia mutanda aut evacuanda esset; itaque neque positive falsa commendarentur. Neque, cum spiritus dominium agnosceretur, adeo purgantibus et venaesectione abutebantur.

§. 11.

Schola methodica. Epicuri philosophia.

Alii medicae theoriae fundandae Epicuri philosophia inserviit, quae, ultra materiam non progredi conata, omnibus, quae fiunt, corporum mutationes sufficere demonstrare studebat. In quo jam prius Leucippus et Democritus Epicuro antecesserant. Cuncta, ut hic putabat, ex corporibus, nulli divisioni obnoxiiis et spatio vacuo infinito sunt orta. Corpora illa gravitate acta de-

orsum cadere coeperunt, forteque alia aliis incidentia, multos post vanos conatus mundum composuerunt. Omnes corporum mutationes et corporis animati actiones nonnisi corporibus in spatiis inanibus vacuis sese moventibus efficiuntur. Et animum ipsum ex corpore consistere contendit, ipsumque in partem ratione praeditam aliamque ratione expertem divisit, quarum illa ex tenuissimis, levissimis, rotundissimis, haec e majusculis corporibus constaret. Corpore mortuo etiam anima exstinguitur. Itaque casu omnia orta sunt, ut vel sensibus uti casu doctifimus.

§. 12.

Asclepiades.

Hanc naturae corporum expositionem primus Asclepiades in medicinam intulit. Sequuntur hic ejus praecepta: Corpuscula illa per se mutari nequeunt, quare in corpore vivente secunda aut adversa valetudo inde pendet, utrum spatiis vacuis, in quae

perveniant, illa quadrent, nec ne. Valetudo secunda efficitur motu eorum haud nimis rapido, formaque et magnitudine ipsorum spatii inanibus congruente; morbus contrario. Nulla igitur vi corpus est praeditum, functionesque vitales e. g. secretiones, forte fiunt. Etiam hic, sicut Aristoteles eumque sequentes, *πνευμα* illud pulmonibus respiratum per arterias diffundi putabat, eique mentem indidisse videtur. Morbi, ut supra dictum est, ex corporibus non ex aequo se ad spatia inania sese referentibus pendent. Singulorum morborum causam proximam in eo posuit, quod illa corpora a cervata aut diminuta alicubi essent, aut motu peccarent. A dogmaticae scholae medicis autem adeo discrepavit, ut ab humorum vitiis, morbos oriri prorsus negaret. Itaque et in morbis curandis non humores evacuare, sed partium solidarum aequam mixtionem et formam restituere studebat. In quo diaetae maximam tribuit efficaciam et, cum ei res esset cum Romanis, tum jam luxuria solutis,

magis roborantibus usus est. Et climatum, corporisque diathesis differentias in remedium usu definiendo respexit. Ceterum curam omnino medici opus esse, minime vero naturae viribus perfici praedicabat.

§. 13.

Schola methodica proprie
sic dicta.

Ex his praeceptis fundamentum sumtum erat, in quo methodica condebatur schola, cujus quidem auctor Themison, inter cultores vero Theffalus, Soranus, Mofchion et Caelius Aurelianus nominandi sunt. Horum iudicio in arte medica non tam in causas occasionales morborum animadvertendum erat, quam potius in ea, quae pluribus in morbis eadem se praeberent. Taliu sic dictarum communitatum tres inveniebantur, stricta scilicet, laxa et mixta quaedam ex utraque. Diagnosin horum vitiorum in excretionibus alii quaerebant, quae, si auctae essent, laxitatis, suppressae

vero fricturae indicia praeberent; alii vero ex turgore vitali majore frictum, ex flacciditate autem laxum cognoscere volebant. Causae occasionales modo ad morbum gignendum, solida mutant agunt, quo facto autem eorum actio deletur, nisi in corpore morantes forsitan noceant. Curandi methodus ex hac pathogenia proficiscens his legibus obsequebatur, ut quae stricta essent, relaxarentur, laxa autem adstringerentur. Ad relaxandum jejunio, balneis tepidis, oleis unguentis, venaesectione utebantur; ad adstringendum vero diaeta roborante, vino, adstringentibus. Quibus haec non sufficiebant, ea metasyncrifi sive recorporatione oppugnabantur, quam tertiam methodum Theffalus in medicinam induxit. Haec fortioribus medicamentis mixtio mutata erat. Quo consilio diaeta praescribatur a jejunio ad solitam ciborum quantitatis assumptionem progrediens, exercitationibus, unctionibusque adjuncta. Quibus praegressis vehementer alterantia, vomitoria, acria, e.

g. sinapis, scilla, vesicatoria, calor externe applicatus adhibebantur.

§. 14.

Faustum erat arti medicae, quod haec theoria, quanquam rationibus ex experientia legumque naturae cognitione sumtis haud niteretur, forte magis in solida, quam in humores attendit. Quanquam igitur vires materiae adjunctas prorsus neglexit, nostris tamen acceptis theoriis ideo propius accessit, quod iisdem partibus, quibus nos, in corpore vivente mutationum causas adjunctas existimavit. Ad quod magis adhuc id attulit, quod, cum virium mutationes cum materiae habitus diversitate quadam nexa sit, haec iis jam quodammodo apparuit, quantum ad formam pertinet. Quare etiam omnium veterum maxime in morborum curatione nostris apropinquarunt. Nam cum, quanquam angustius, duas modo in morbis materiae formae diversitates posuissent, tamen simili modo eos tractandas effe docuerunt, quo, apud nos, virium laesarum

duo genera. Neque mirandum est, quod medendi methodus eorum magis congruit posteris temporibus probatae; magis enim experientiam sequi licebat, quia nil praesumserant, in quod mechanicè agendum esset, quasi in humores veterum. Attamen in eo vituperandi sunt, quod causas occasionales removendas negligebant, et in eo a rationis praeceptis eos discessisse arguere possumus.

§. 15.

G a l e n u s.

Venimus ad Galenum, cujus adeo notanda sunt praecepta propter auctoritatem quam in medicina tam diu obtinuerunt. In sectos tum temporis separatos medicos ad Hippocratis medicinam, Platonis et Aristotelis sententiis vero exornatam reducere tentavit. Vires corporis humani tres posuit: primo vires vitales, agentes spiritu, qui ex aëre inspirato minima pars secretus in cordis ventriculo sinistro sanguini misce-

tur, efficientesque arteriarum pulsus. Tum vires animi, quae pneumate, ex spiritu vitali secreto et cum sanguine in cerebrum perveniente utuntur. Vires denique in spiritu naturali residentes, qui cum sanguine omnia perfluit sanguinis vasa, efficientesque procreationem, reproductionem et incrementum. Ceteris perficiendis vires adhuc attrahentes, repellentes et continentes inserviunt v. c. digestionem alimentorum, secretionem humorum. — Elementis, quae a primis corporum initiis discrevit, qualitates insunt primae, si vero inter se miscentur, qualitates existunt secundae, quae sensibus percipiuntur. In hac mixtione etiam vires naturales attractionis, repulsionis etc. posita sunt. Corporis humores qualitibus mixtorum elementorum respondent. Sanguis primis qualitibus constituitur, ut nullum elementum praevaleat, in pituita vero aqua, in bile flava ignis, in bile atra terra praestat. Sanitas, sensu strictiore, aequè mixtis elementis efficitur, quod cum fere nunquam

fiat, sanitas, sensu latiore, is corporis status dicendus est, quo doloribus exemptum nulla in functione laeditur. Morbus vitium est aut partium simplicium aut organorum compositorum. Morbi partium simplicium elementorum disproportionatione nituntur, quorum aut unum, aut duo tunc praevalet. Causae morborum partim remotiores sunt eaeque vel externae s. causae occasionales, vel internae s. causae praedisponentes, eademque plerumque humores quantitate vel mixture peccantes; partim vero proximae. Remotiores rite conjunctae esse debent, quo causam proximam constituent. Humor vitia putredines vocabat, quae humore in locis calidis stagnante neque expirante oriuntur. Omnibus febribus humorum putredo adest, unde calor praeternaturalis nascitur, qui si cordi arteriarumque systemati communicatur, febrem producit. Ephemera sola spiritus vitio efficitur. Febris quotidiana pituitae, tertiana bilis flavae, quartana bilis atrae corruptione cietur. In inflam-

inflammationibus sanguis in loca insolita penetravit. Sicut humorum, qualitatibus distinctorum vitiiis plerosque morbos gigni contendit, ita etiam vires medicamentorum secundum qualitates primas differre, has vero ex qualitatibus secundis cognosci putavit; plerisque autem duas inesse qualitates. Praeterea etiam in affinitatem elementorum visceris ad ea medicamenti animadvertendum esse monuit.

§. 16.

Galeno omnium veterum minime obiciendum est, eum nimis arcte hominis organismum adspexisse. Tam enim in vires, quam in materiam advertit, et in eo quasi veterum scholae medicae variae se vicissim penetrarunt. Non autem tam magna commoda scientiae inde evenire poterant, quoniam ea, quae de viribus, de effectibus, qui harum, qualitatumque materiae ope efficiantur, de materiae natura, ejusque relatione ad corporis valetudinem differuit, non ex naturae observatione hausta, sed

ficta erant. Inde orta est illa virium, quas indidit corpori humano, tanta multitudo, inde medicamentorum efficacitatis in gradus divisio, quae postea tam vanis, subtilibus meditationibus ansam praebuit. Magnae autem utilitali fuit praxi medicae, quod indicationem egregie definivit, ejus rationes ex morbi natura, anni temporibus, tempestate, corporis diathesi, vivendi ratione et viribus aegroti sumendas esse praecipiens. Ceterum in curando Hippocratem magna parte, secutus est.

§. 17.

Fata medicinae Galeni. Ejus apud Arabes transformatio.

Galeni medicina similia fata mutationesque est passa, ac philosophia, qua nitebatur, Aristotelis et Platonis. Floruit enim utraque, quoad nova philosophia tempore fere eodem cum nova medicinae theoria emergeretur. Pares subtilitates, quibus philosophia illa, scholasticorum meditationes

transgrediens induebatur, et in medicinam intrarunt.

Maximo momento huic medicinae aeque ac philosophiae Arabes fuerunt. Qui a Graecis philosophorum scripta acceperunt, quorum recentiones Platonis placita, maxima superstitione deformata, non solum cum Pythagorae et Aristotelis, sed etiam cum Judaeorum praeceptis conjungere studebant; unde schola nova Platonica, ab Ammonio Sacca condita, prodiit. Hanc philosophiam novam Platoniam et peripateticam Arabes religioni suae adaptare studebant. Sequuntur hic, quae ex hac ita mixta adferenda sunt cogitata de corporum natura:

Vim, corporum actionum et motuum causam, in divinitate collocabant. Corporibus nonnisi tres dimensionis modos inesse, quibus natura eorum constituitur, praeterea vero quasdam qualitates accedere, gravitatem, levitatem, quatuorque elementorum qualitates. Quodvis corpus gravitate

aut levitate primam formam induit. Plantis etiam secunda forma adest, qua nutriuntur et crescunt. Animalibus vero tertia accedit sentiendi et sese movendi, quae in anima, quinto astrorum elemento, aetheri simili, fundata est. Anima, dum homo gignitur, ex quatuor elementis effervescentibus producta est, corpusque suum divinae animae ope perfecit. Residet in cordis ventriculis et cum cordis calore effervescit, quem sanguis ex hepate veniens nutrit. Sensus in cerebro sedes. Cerebri vero et cordis actiones spiritu influente indigent, qui arteriis ex corde per omnes corporis partes protuditur. —

§. 18.

Medicina Arabum maxima parte in Galeno erat fundata, immutata autem ingenio philosophiae ipsorum. Quare jam apud Rhonain Ebn Ishak vires, quibus corporis functiones fiant, itemque bilis species admodum multiplicatas invenimus.

Qui vero maxime Arabum medicinam transformavit, Ebn Sina s. Avicenna nominandus est, quem plurimi posterorum secuti sunt et qui diu princeps medicorum est habitus. Corporis virtutes ab eo vel magis etiam quam ab antecedentibus multiplicabantur. Humor nutrientium praeter bilem flavam, atram, pituitam et sanguinem, quatuor posuit species; primam, quae tenuissimis arteriarum ramulis contineatur; secundam, quasi rorem, partes simplices perfluentem, quae materiam nutrientem praebet, tertiam paulo densiorem, quae habitum, nondum vero naturam partium simplicium acceperit; quartam partibus simplicibus contentam, ex semine factam. Quatuor causas peripatetico-scholasticas in medicinam intulit: causas materiales, quas partim in visceribus, partim in spiritibus quaesivit; causas efficientes in sex rebus non naturalibus; causas formales in viribus; causas finales in partium functionibus. Morborum causas tres statuit, quae nunc etiam

valent: praeentem (praedispositio corporis) primariam (occasionalis) et compositam (c. proxima.)

§. 19.

Philosophiae scholasticae cum medicina connexus.

Arabum philosophorum scripta cum in mediam Europam pervenirent, Aristolis illorum sententiis referta opera istuc pertinentia praesertim in usum dialecticae, eo usque cultae quidem, non autem adeo ceteris praepositae, adhibebantur, qua theologiae auctoritatem fulcire studebatur et inde scholasticae philosophiae origo petenda est. Logica et dialectica, nunc a ceteris doctrinis separatae, liberius tractabantur. Primum igitur in theologiam subtilitates dialecticae impensae sunt, tum vero, incipiente seculo XII. controversiae de nominalismo et realismo philosophorum disquisitionibus proponebantur. Plato enim exemplaria in divina mente praesentia posuerat, ad quae

singula creata essent (Universalia ante rem). Aristoteles Deum mundi opificem a mundo non secreverat, et exemplaria quidem non omnino, sed modo extra res ipsas esse negaverat (Universalia in re). Hanc sententiam realismi sectatores amplectebantur. Zeno contra modo imagines eas esse contendebat, quibus menti conceptus quidam repraesentarentur (universalia post rem) idque nominalismi principium.

Aristotelis igitur hoc studio vigente, in medicinam maxime ejus disquisitiones de praedicamentis applicabantur, quibus res mente aut sensibus perciperentur. Opus erit, hic breviter afferre Aristotelis de hac re praecepta. Primum materiam a forma discrevit, quarum in illa facultas sit posita, qua res aliqua fieri possit, in hac ea, qua fiat (energia). Et facultatem (*δυναμις*) eodem modo ita definiit, ut discernenda esset quoad potentiam et quoad actum (entelechia). In mente forma est formarum rerum, quae sub cogitationem cadunt, in sensibus

earum, quae sentiuntur. Cogitatur quodque aut primum, aut primo inhaerens. Primum cogitatur aut per se, (conceptus substantiae) aut per accidens. Accidentia referenda sunt aut ad materiam rei, divisioni obnoxiam (modus quantitatis) aut ad formam indivisam (modus qualitatis), aut ad relationem substantiae ad aliquid (m. relationis). Res primo inhaerens constituitur substantiae conjunctione cum qualitate aut relatione. Substantia conjuncta cum qualitate modum agendi vel patiendi efficit; cum relatione, relationem partium inter se, aut relationem ad externa. Hi cognoscendi modi pertinent ad objecta, quae cognoscuntur aut cogitantur. Quibus utens mens adhuc quinque voces gignit: genus, species, differentia, signa praedicabilia et essentialia.

§. 20.

Nonnisi disquisitiones, quae horum praedicamentorum singulis corporis se habendi modis, virtutibus et humoribus deberentur, fuere, quibus medicinae theoria

seculo XIII. et XIV. ditabatur, cum in reliquum fere omnino in Galeni et Arabum fundamentis persisteretur. Quod probatur, praetermissis aliis, praesertim exemplo Thomae ab Aquino, Gilberti Angli, Petri ab Abano, Arnoldi Bacchuone etc. Eo accessit sub finem seculi XIV. superstitionis vis, etiam in medicinam delata, quae ex astrorum constellatione effectus in corpore humano quaerebat. Et quanquam philosophia Graeca seculo XV. prima in puritate repetebatur, medicina tamen tunc etiam ingenio philosophiae scholasticae et superstitionis tractabatur.

§. 21.

Momenta quaedam ad Galeni medicinae ruinam adtribuenda.
Cabbala.

Sic in Graecia nata philosophia et medicina pari passu se invicem sunt comitatae, donec, sententiis Pythagorico-Platonicis in religione Judaeorum exceptis, illa mixtione philosophia Cabbalistica exorta est. Jam in Philo-

Ionis scriptis signa reperiuntur orientis Cab-
balae. A Deo enim exemplar universi
(αρχετυπος) creatum esse, quasi lucem (πανά-
συγεια), in divina mente residentem, men-
teque sola comprehendendam putabat.
Deum in condendo mundo daemonum ope
usum esse.

Atqui philosophi Cabbalistici arche-
typo unò nondum contenti, quatuor statue-
runt mundos, qui certo ordine alter ex alte-
ro producti essent, quorum vero fons lux
prima (πανάσυγεια). Primus horum mun-
dorum illud Platonis exemplarium chaos,
secundus mundus creatus, quartus mundus
confectus. Decem putabantur numeris esse
infinitas vires, quae repetebantur in decem
qualitatibus divinis, in decem coeli sphae-
ris, decem iussibus divinis, decem artibus
humanis. Primas tres, tribus vocalibus lin-
guae hebraicae comparabant (tres matres).
Mundi confecti tres illae matres ignis, aër
et aqua sunt. Reliquas septem compara-
bant litteris, quae litterae, dageſch, ope

diphthongae fiunt. Quae, primis tribus
additis, ministros divinitatis repraesentant,
veras virtutes intelligentes. Duodecim re-
liquae litterae significant media, quibus di-
vinitas sit usa in mundo condendo.

§. 22.

Eodem seculo ad infringendam Galeni
auctoritatis vim jam a medicis quibusdam
momenta accessere. Argenterius enim Pe-
demontius jam theoriam Galeni impugna-
vit, in primis unum modo spiritum corporis
actionibus sufficere contendens. Cabbalam
autem, ut majorem auctoritatem adeptam est,
Agrippa a Nettesheim, Colonus, in medici-
nam introduxit, affirmans connexum virtu-
tum partium diversarum, universum consti-
tuentium. Ut in archetypo, sic in mundo
corporum omnia unum, unumque in omni-
bus. Ex corporibus idola, vires eorum
continentia, emanant, quae iis astrorum,
virtutibus mentium intelligentium, exem-
plaribus archetypi, litteris hebraicis etc.
respondent. Itaque et corporis animati,

(microcosmi) partes, humores, vires, astris, daemonibus, iisque ceteris in mundis continentur, congruunt. Similem sympathiam et antipathiam Cardanus statuit. Eo accessit, quod eodem tempore Alchemia majore studio coli coepit, quae cum jam plura secula solum apud artifices ineruditos versata esset, nunc secundum Cabbalae principia pars theosophiae putabatur.

Idque chemiae expurgans studium nobis argumentum praebet, hic sectioni primae, fictione sola medicinae theoriam excolendo distinctae, terminum figendi.

§. 23.

Paracelsus.

Quibus praemissis ad Paracelsi praecepta ipsa transire licet. Eum quidem nondum sectioni secundae adnumerare possumus, sed ejus, sicut etiam sequentis B. van Helmont theoriae medium locum occupare videntur, quo ingenium medicinam colendi

priori sectioni proprium in id secundae transgrediatur.

Paracelsi medicinam Cabbalae doctrina niti, non dubium est, quin, illa exposita, patuerit. Etiam ejus menti semper est repraesentatum, omnia, quae sint, connexa esse, cum cunctis in sit vita, corporibusque omnibus spiritus sive exemplaria, idola inhabitent, quorum virtutes consensu vel dissensu in variis existentium generibus, reactiones concitent. Ordinem eorum quae existunt, ita definivit. Ex divinitate (limbus major), in qua, ex qua et per quam omnia sunt, quae existunt, emanavit anima, hominum genus quasi repraesentans, (parens hominis, limbus minor, Christus, ut videtur). Quis confidendo et a rebus profanis se distrahendo in hunc limbum penetrarit, ejus jussui omnes scientias, omnes daemones parere. — Mentis intelligentes, daemones coelestem occupant mundum, corpora sublunaria ex duobus consistunt, parte spiritiosa et parte materiali. Illa, quam etiam

astralem, sideream nominavit, ex mentibus coelestibus, divinis nascitur, formamque corpori impertit. Quare, quoad virtutem, omnes corporis animalis partes in caelo adsunt. Ubi igitur in corpus ipsum agere non licet, in formam astralem artibus theurgicis est operandum. Astrorum virtutes intelligentes corporum signis quibusdam exprimuntur, quorum cognitio maximis solum est theosophis. Cum omnia in universo animata sint, aëri, aquae, terrae et igni innumerabiles insunt spiritus, medii inter materiam et animam, viventes quidem sicut homines, sed multo subtiliores, velociores et pellucidi. Eorum natura mixta est ex spiritu et corpore, anima carens, quia spiritui puro anima deest. Sicut spiritus in corpore astrali consistit, ita animae sedes in corpore materiali est, quod sub sensu cadit. Inde tres efficiuntur harmoniae:

Anima, spiritus, corpus

Hydrargyrum, sulphur, sal

Aqua, aër, terra.

Jam spectandum venit, quomodo ex hac philosophia novam medicinae theoriam produxerit. In quo primum notandum est, eum nova ratione corporum naturam exposuisse. Posuit enim sal astrale, in quo causa sit, cur corpora cohaereant et pars post combustionem remaneat. Sulphur sidereum, in quo incrementi et urendi facultatis causa; et mercurium sidereum, qui liquiditatem et formam fluidi elastici efficiat. His tribus substantiis astralibus conjunctis corpus concretum constitui affirmat, immemor contrariorum, quae ab eo de hac re contenta supra adlata sunt. Aliis locis ex his rursus elementa, aquam, aërem et terram componi asserit. Elementis certas qualitates inesse negat, cum quodque omnium qualitatum sit capax. Omnes facultates corporum ad astra pertinent. Alia magni momenti opinio illius ea est, in singulas corporis animalis partes daemones vel astrorum virtutes intelligentes vim exercere.

Nova prorsus etiam erant, quae de Archæo, Daemone quodam, docuit, qui in ventriculo ex cibis nutrientia discernat a noxiis, et ita assimilationi praesit, Hic Archæus nonnisi corpus est astrale s. spiritus in homine. Cuique membro suus inest ventriculus, quo secretiones ejus perficiuntur. Pathogenia ejus quinque praecipuas morborum causas affert. Quarum primam ens astrorum vocat. Astra modo aërem inquinantia morbos gignunt; quaedam mercurio, eaque capiti insensa; alia sale, eaque sanguini et ossibus inimica, alia arsenico, quae tumores et hydropes gignunt, alia tandem amaris, quae febres producent.

Secundum est ens veneni, quod Archæi segnitie ex alimentorum putredine prodit. Quartum ens spirituale.

Quintum ens deale, quod genus a Deo ipso editos effectus complectitur.

In singulorum morborum causa proxima afferenda persaepe chemicis utitur principiis, ex salium effervescencia, sulphuris

com

combustione, hydrargyri conglutatione multa symptomata deducens. A sale, mercurio, sulphure omnes nascuntur morbi. Calore hydrargyrum sublimatur, unde monia oritur, aut destillatur, unde mors subita, paralysis, melancholia, aut praecipitatur, unde arthritis. Sale praevalente morbi gignuntur, quos nos laxitati imputamus, augeturque tartarus. Sal copiosius fecernitur nimium edendo, vita luxuriosa, astrorum vi. Sulphur plurimarum febrium causa est et magis in partes internas operatur. — Alia praeterea morborum causa est tartarus, qui in visceribus, Archæi vitio, excernitur, eosque morbos, qui visceribus infarctis a nobis tribuuntur, morbos hepatis, morbos renum producit.

§. 24.

In hac theoria fictiones phantasiae ad superstitionem propensae cum iis, quae de materiae diversitate experta erant, exiguis quidem, substratisque novis fictionibus, conjuncta sunt. Ratio, qua Paracelsus vires

4

medicamentorum operari sibi repraesentabat et in his curandi methodum fundabat, magis ex ejus philosophia quam ex ejus chemia manabat. In Archaeum omnes medicamentorum actiones tendere asserit, earum vires vero secundum harmoniam astrorum vi effectas differre. Quare metalla in ea organa vim medentem exferere, quae eidem, cui organa singula, astra respondeant. Modum agendi medicamentorum inquirere non tentatum specificum duxit. Ideoque nulla ratione illustratae experientiae, periculisque temeris in medicinam viam aperuit. Attamen intellexisse videtur, materiae organicae mutationes medicamenti proxime effici, cum de purgatione et renovatione, arcanis peracta, loquatur. Adde huc, quae de Archaeo dixit et quod morbos ex mutationibus chemicis deduxit. Nec dubium erit, quin suspicatus sit vim vitalem, eique materiam certae mixtionis substratam, in quibus etiam hodiernae nituntur theoriae. Ceterum maximae grates ei sunt habendae

quod chemiae ope in pharmacia primus magnopere usus est, ejusque laudes primus praedicavit; medicamentaque majoris efficaciae ex metallis, sulphure, plantis comparare docuit, e. g. hydrargyri, stibii compositiones, acida mineralia, aetheres, olea plantarum destillata.

§. 25.

Baptista van Helmont.

Etiam in systemate quod Baptista van Helmont condidit, virtutes sensibus haud comprehensae in rerum natura dominantur, attamen a Paracelso magnopere differt.

Astrorum virtutes in hominis animam vim ullam exercere prorsus negavit, in corpora sublunaria vero nonnisi per Blas sic dictum quoddam concessit. Quod Blas motus et luminis astrorum principium, cessantibus etiam luminis eorum attactu aërisque motu in terra agere pergit. Attamen astris Deum uti, quibus futura hominibus indicaret, ita vero, ut ipsa futurorum causae non

sunt habendae, opinatus est. (V. astra necess., non inclin., nec signific. etc.)

Corporum duo sunt initia, elementum aquae, ex quo, et fermentum, initium per quod. Est autem fermentum ens natum formale, neque substantia, nec accidens, sed neutrum. Cum materia junctum semina efficit, quae producta novum fermentum obtinent. Fermenta vere, actuque existunt et in species distincta sunt, quare quodque ex materia sui generis elicit semen. Semen generativum custodit in se universa, quibus ad generationem opus habet. De novo nil furgit, quod non e semine ortum ducat. (V. caus. et init. mat. 22. et seq. 39.). — Fermenta duplicia sunt, quorum unum. continet Archaeum feminalem, qui suo fluxu in animam viventem aspirat, alterum vero initium motus sive generationis rei in rem continet. Quod quidem, cum primum careat aura feminali, mox tamen vapore potitur, quem fermenta suscitant. Quare non raro aliunde fomitibus luminis occultioribus

susceptis in viventem animam aspirat. Ita ex excrementis infecta nascuntur. Fermentum est odor vel qualitas alicujus fracedinis, dispositiva ad alteritatem et corruptionem massae. Archaeus autem est gas spirituale, continens in se fermentum, imaginem rei, atque insuper notitiam dispositivam rerum agendarum. In generatione naturali sive in seminibus vitalibus generans inspirat Archaeum cum sui similitudine et auram vitalem una cum seminis massa. In generatione anomala insufflatur tantum fermenti odor a vasis continentibus aut ambientis contagio. Excitatur enim aura ab odore vel fermento fracedinis, quae dein in Archaeum rectorem exaltatur. Fiunt itaque semina a conceptu generantis, facientis imaginem sui; vel ab odore fermenti, quod materiam disponit ad ideam, rei possibilis. Etenim prout ab odore materia haurit transmutationis dispositionem, sic ab imagine fit materiae dispositio, quae fermentum specificum procuret. (Imago ferm. mass. impraegn.

fem.) Diffusius haec exposuimus, quia inde patere videtur, Archaeum ab eo non extra fermentum positum esse. Summamque ei tribuit fermenti potestatem, motuum omnium et generationis internum directorem excitatorem et initium eum vocans. Attamen quomodo de fermenti natura dictis supra allatis, id respondeat, quod eum ex aerae vitalis, materiae videlicet, connexionem cum imagine seminali consistere contendat, nobis non liquere fatemur. (V. Archaeus faber). Elementa solum duo posuit, aquam et aërem, quae in se invicem non transeant. (V. Elementa. Aër). Ex aqua etiam Mercurius, sal et sulphur producuntur. (Progymnasma meteori 14. Aqua 6.) Ex aqua excernitur gas, omne vapore, fuligine et oleis destillatis subtilius. (Ib. 29.)

In corpore humano omnes actiones ab Archaeo concitantur, cui etiam sentiendi facultas et mens adjuncta est. Singulas animi vires locis in corpore certis assignatis discrevit, ita ut mens cum Archaeo duum-

viratum occupet. (Imago ment. 19. Demens idea. 16. 28. Jus duumvir. 21. f. 35.) Duumviratus nomine ventriculum et splenem designat. Digestio intestinorum fermentis perficitur, estque sextuplex.

Morborum omnium causa proxima in Archaeo est posita. Aut enim ab ipsa mente aut a causis externis aut sponte perturbatur, unde alieni conceptus, imagines in eo finguntur, quibus ira, furor, terror ejus concientur, quare bonos succos a se partos pervertit. Alienus talis conceptus agit seminaliter in spiritu Archaei, quasi substrato materiali. (V. tractatum de morb.) Discrevit morbum, qui in Archaeo positus est, a morbi producto, ut hoc sit, quicquid a morbo patratum manat. (Ignot. hosp. morb. 83.) Veterum doctrinam de quatuor humoribus offendit in tractatu: scholarum humorist. pass. deceptio. Morbos divisit secundum causas occasionales, ideoque statuit morbos primarios et secundarios, illos a receptis fieri, hos a retentis. Recepta rursus

divisit, prout diaboli malevolentia per sagos concitarentur, aut Animae Archaeive alterationibus aut externe assumtis aut mechanice et chemice offendentibus. Retenta divisit in relictis ex digestionibus, transmutata in iisdem aut transmissa ab altera digestionem in alteram. Genera et species morborum deduxit ex idearum morbosarum differentia et ex digestionis qualitate, quae retinendo peccaret, aut ex qua vel in quam transmitterentur retenta. (V. tract. de morb.)

Febres ab Archaeo concitantur, cum se accendat in nisu, quo expellere cupit materiam occasionalem, tanquam sibi impactam spinam. Hac adempta morbus funditus aufertur. Causae occasionales febrium duae: altera in degenerata alimento, quod partes solidae attrahunt; altera Scoria, quam venae mesaraicae ex ileo, si alimenti loco hanc materiam stercoream contineat, affugunt. Variarum harum materiarum mutationes varios gignunt febres. Rigor igitur fit primum in partibus hac materia laesis,

indignato, tremente Archaeo; calor sequitur, sudorque oleosus, Archaei conatu, materiam offendentem expellendi. Diaeta igitur et medicamenta maxime juvant, quae expulsionem hanc provehunt, scilicet sudorifera. (V. de febr.)

Nonnulli etiam morbi a latice gignuntur, humore sanguini admixto, qui hujus aciditati temperandae, salique sanguinis in se recipiendo inservit, praeteraque in secretionibus salivae, muci, lacrymarum usum adest. Cujus humoris mixtione, internarum partium fordibus contaminato varii existunt morbi, e. g. omnes morbi secretionum earum, quarum basis est latex, ulcera maligna, exanthemata, tumores. Omnes hi morbi autem producta morbi ducendi sunt. (V. latex humor neglectus).

Quemadmodum in Archaeo sita est causa proxima morborum, sic etiam vis omnis medicamentorum in eum tendenda est. Maxime compescitur Archaeus mercurio diaphoretico (mercurius praecipitatus ruber)

liquore alcahest Paracelsi, ejusdem tinctura lili, salibus volatilibus, salibus aromatum, oleis destillatis, camphara, opio. Praeter effectum generalem in Archaeum etiam eum respexit, quem medicamenta ad dissolvenda digestionum variarum excrementa exhibeant; ejusque digestionis, in qua medicamentum solvitur excrementorum eversionem adjuvari, ejusque vasa aperiri opinabatur. Quare quaedam alvi, alia lotii, alia sudoris excretionem augent, ita vero ut sensibus hic effectus vix appareat, si salutaris sit.

§. 26.

Melius forsitan quam Paracelsus Helmont perspexit, quibus finibus circumscribenda esset chemiae in medicinae theoriam applicatio. Novam igitur naturae corporum expositionem edidit, ex qua corporis humani mutationes explicare licebat, et modo in quibusdam chemiam adhibere poterat e. g. cum in nonnullis morbis, ut pleuritide, humores acres ab Archaeo in partes mitti

contenderet. Quod pertinet ad curandi methodum, ex ejus theoria prodeuntem, in eo jam recentioribus antecessit, quod omnibus medicamentis Archaei sive vis vitalis vitia adoriri conatus est et magnopere vires sustentandas monuit. Facile vero ipsa profus recentiori congruisset, si Archaei morbosas imagines in paucas sectiones divisisset, quae nostris laesarum virium generibus respondissent. Tunc etiam diversas rationes statuere potuisset, quibus medicamenta in Archaeum operentur cum nunc tantum eum compescere studeret. Vitari etiam hoc modo potuisset praesumptio, venaesectiones et laxantia omnino spernendas esse.

S e c t i o f e c u n d a .

§ 27.

Cartesii philosophia.

Novo ingenio medicinae theoria coli coepit, ex quo philosophia Cartesii ad mate-

riae ipsam formam, mixtionem et motum animos adtendere coepit, cum eo usque qualitates et facultates occultae ad phaenomena explicanda adhibitae essent. Quamquam enim materiae nonnisi dimensiones tres tribueret, motusque causam extra, materiam, ideoque in mente, cuncta dirigente poneret, attamen phaenomenorum causam proximam tantum indagari praecepit, quantum et quemadmodum materia ipsa in iis mutaretur. Itaque ex hoc materiae naturam inquirere incipientis momento, initium sectionis secundae proficiscitur. Cum autem rerum naturalium cognitio tunc nondum ita longe evecta esset, opiniones quasdam existens caeteris praeiit. In quibus maxime figuras minimarum materiae partium respexit, quas tamen divisioni non expertes ratus est, quasi ex his forma, mixtio motusque penderet. Duas enim principes corporum figuras statuit, quorum altera pars materia continuo se movente et terrente in formam globosam posita esset, altera vero

(materia primi elementi) ex rumentis prioris consisteret et continuo vertice circum corpora prioris classis, majoraque existentia, rotaretur. Horum sese invicem appropinquantium et divergentium vario motu varios effectus nasci. Hoc etiam modo, quomodo corporum se moventium ope fermentatio perficiatur, explicari posse putabat, cum gasa tali interno motu expediuntur. Causa hujus motus in aethere posita est, materia subtilissima, quae ex materia primi elementi consistit.

§. 28.

Chemiatica doctrina.

Haec inquirendi methodus, in medicinam transducta, chemiaticam alteram et alteram iatromathematicam genuit doctrinam.

Illa inprimis fermentationis nova imagine delectata ex hac principes corporis humani actiones et mutationes deducere tentabat. Quem conatum primum in Fran-

cifici Sylvii systemate theoriarum hujus scholae paradigmate, nobis repraesentatum invenimus. Ut Helmont mutationes humorum per fermenta, facultates immateriales, materiae vero insitas fieri arbitrabatur, sic Sylvius fermentatione eadem effici statuit, et quidem digestionem alimentorum gasum ope, quae fermentante bilis sale alcalino cum salivae et succi pancreatici, acido expediuntur. Constituitur igitur chylus spiritibus volatilibus alimentorum et subtili oleo, alkalique quodam aciditate tenui saturato. Fel in sanguine praeefficit et in corde cum aciditate lymphae, sanguini admixtae effervescit, unde ignis vitalis educitur, qui sanguinis circulationem efficit.

Hoc fermentationis fundamento quoque ejus nitebatur pathogenia. Fermentationis enim vitiis cunctorum originem morborum imputavit. Ejus vitia vero in primis in eo sita sunt, quod alicujus trium humorum, fermentationem efficientium, mixtio depravatur, cum fel aut acuerit, aut in eo

nimis praevaluerit alkali, in saliva et succo pancreatico autem acidum, quod iis semper inest justo acrius factum sit. Causae harum depravationum praesertim in assumptorum alimentorum qualitatibus noxiis quaerendae sunt, attamen etiam in alius generis quibusdam, e. g. animi affectionibus, aëre etc. Haec vero quomodo ad producenda illa vitia operentur, non exponitur. Hisce fermentationis vitiis corrumpitur lymphae mixtio, intestina infarciuntur aut halitus nocui exhibentur, indeque morborum diversitas est petenda. Quae in singulos morbos adhibens, multo maximam partem eorum acido acri imputavit, ita ut fere non nisi febres malignae in acris alcalini culpam venirent. At non solum ex humorum crassiorum, sed etiam spirituum vitalium mixtione laesa, nonnulli derivantur morbi, praecipue generis nervosi.

Pathogeniae chemicae similem curandi methodum respondere putatum esse, facile est conceptu. Itaque degenerationi acidae

praecipue falia opponebantur. Maxime falia volatilia, quibus non solum aciditatem corrigere, sed etiam effectum sudoriferum et analepticum consequi sperabat, in omnibus fere morbis, tam acutis, quam chronicis, ab acri acido deductis, dari jussit, additis adhuc oleis destillatis, efficaciamque decoctis herbarum alexipharmacarum e. g. angelicae, contrayervae, terrisque absorbentibus adjuvari putans. Acidum alkalinum contra, acidis vel spiritibus acidorum dulcibus oppugnabat, praetereaque opiatis, terris absorbentibus, oleosis. Opio fellis acrimoniam corrigi ratus est. Ejus effervescentiae laxantibus medebatur.

§. 39.

In hac theoria organismi phaenomena ex legibus naturae inorganicae petuntur, et quidem solis chemicis. Praeter neglectam differentiae naturae organicae ab inorganica observationem, ei etiam exprobandum est, quod ex hac solas actiones chemicas in illam transtulit. Cum autem praeter motum
nulla

nulla actio materiae tribueretur, in ea ne quidem explicatum est, qui, etiamsi tales depravatae mixtiones revera darentur, ex his morbi phaenomena effici possent. Hos errores vero sequens salium volatilium abusus medendi methodo perniciosissimus esse debebat.

§. 30.

Schola jatomathematica.

Alteram Cartesii philosophia scholam jatomathematicam peperit, quae leges mechanicas in quasdam vitae actiones applicare studebat. Hoc modo praecipue in humorum circulationem, quanta vi protruderentur et quanta resisterent, itemque in musculorum actiones inquirebatur. Claruerunt his studiis praecipue Borelli, Bellini aliique. Haec methodus, quanquam organismus ita machinae artificiali fere equipararetur, tamen quibusdam physiologiae doctrinis lucem attulit e. g. de momentis mechanicis in musculorum actione.

§. 31.

Stahlii theoria.

Georgius Ernestus Stahl motus vitales ab iis, qui fiunt in natura inorganica, distinguendos esse monuit. Chemicis igitur et physicis disquisitionibus non tantum pretium tribuendum esse, quam eo usque factum erat, statuit; explorandum enim esse, non quemadmodum ex analogia naturae inorganicae in corpore vivente motus fieri possint, sed quemadmodum revera fiant. Itaque cum leges physicae et chemicae non sufficiant in organismo, in principium, quod omnis motus causa sit, attendendum esse. Propterea Cartesii praecepto, omnem summae causae investigationem in materia omittendam esse, in medicina nullam auctoritatem tribuit.

Etiam Stahl materiae ipsi ullam vim mutationisque causam inesse negavit. In corporibus organicis, quorum discrimina ab inorganicis exponere conatus est, omnis actio, ab immateriali quodam pendet, quod animam nominavit. Etiam motus non spon-

tanei ab ea, eorum non conscia sibi, inconsulto efficiuntur, spontanei autem consulto, cum eorum conscientia; illi ratione, hi ratio cinio. Ejus impulsu assimilationem, secretionem, excretionem fieri, in quibus adhuc mechanismo utitur, et motus tonicis, quibus humores propelluntur et spasmi, contractiones efficiuntur. Causa etiam proxima morborum in anima sita est, cum in fingenda imagine de dirigendis corporis functionibus errat. Cuique morborum causae occasionali anima reactionem opponere studet et ex his actionibus impedimentisque earum plerique morbi consistunt. Illae actiones motus tonicis, congestiones, secretiones et excretionem efficiunt. Noxiae autem fiunt ipsae erroribus animae, cum aut laedentis materiae nimium adest, aut corporis vires non sufficiunt. Ita febres a stimulo quodam vitae principium ad reactionem incitante oriuntur et inde earum symptomata pendent. In humorum acri qualitate non est morborum causa ponenda, quia talis in corpore

animato adesse non potest et humores motu celeri ab incitatione solidorum prohibentur. Magnopere autem inter morborum causas sanguinis congestionem respexit, quae efficiatur hominum solita consuetudine, majorem ciborum quantitatem assumendi, quam quibus corpus indigeat. Praeterea vero etiam naturae legibus institutas esse accumulationes in quibusdam partibus aetatibus certis arbitrabatur. Itaque ex congestionibus, accumulationibus, nimia actione effectis, et stagnationibus, motu seigniore productis, plurimi morbi originem trahunt. Sic etiam inflammatio consistit in nimia actione, concitata adpulso sanguine stagnante et ab excretionibus prohibito.

Cum naturae viribus vim medicatricem in morbis tribueret, has observandas esse et adjuvandas a medico, principium medendi putavit. Itaque ordinatis, validis et commodis illis optime nil instituendum esse, quo turbari possent. Febres cum natura plerumque excretionibus fanet, medicum eam

in his sequi debere, omnia igitur vitanda esse, quae excretionibus retineant. Praesertim sudorem utilem putavit, excretionibus alvi in febribus vero nunquam. Crisibus adjuvandis venaesectiones inserviunt, cum natura in febribus sanguinem evehere conetur. Venaesectiones etiam in plurimis morbis chronicis adhibendas esse docuit, quippe a plethora ortis, ita vel etiam in ipsis morbis nervosis. Medicamentis incitantibus, calefacientibus, sicut etiam opio, generatim insensus erat. Maximam igitur curae partem in evacuationibus ipse ponebat et in salium refrigerantium exhibitione.

§. 32.

Apud Stahlum primum differentiam actionum naturae organicae, ab iis inorganicae, animadvertendam esse conspicimus. Cartesii autem de corporum natura opinionibus deceptus causas enucleare non potuit, quas nos illi supponere cogimur, vires in materia operantes, in utrisque diversas. Itaque etiam leges, quibus vires illae parentes

phaenomena diversa vitae et inter haec morborum ortum exhibeant, exquirere non potuit. Attamen cum phaenomenorum differentia reperta esset, nunc accuratior phaenomenorum organicorum disquisitio mox leges earum docere poterat, indeque quodammodo Hallero viam aperuit. Et in eo, quod leges actionum vitalium adhuc ignorabat, posita est causa, cur pathogenia ejus plerumque in conjecturis niteretur. Quae inter morborum causas praecipue quantitatis et loci humorum mutationes spectans etiam praecipue diminuendo et removendo operantem inveniendi methodum edidit.

§. 33.

Friderici Hoffmanni medica theoria in mechanica materiae actione nitebatur. Tribuit materiae vim motricem et resistentem, qua corporum unum in alterum agat, ut mutua actione et reactione locum vel situm mutarent et motum exfererent, qui omnium phaenomenorum, qualitatum, effectuum, vitae, nutritionis, corruptionis, imo

omnis mutationis in corporibus causa est. Fit itaque motus nonnisi actione corporis unius in alterum, per mutuam pressionem, impulsum et renitentiam adeoque per contactum. In his viribus motricibus materiae persistendum, neque earum principia inquirenda sunt. In corporibus animatis motuum et mutationum causam in fluido nerveo posuit. His motibus mechanicis igitur vitam componi, ad eamque sustentandam continuo cordis arteriarumque motu opus esse existimavit. Ex circulatione sanguinis, cujus igitur in partium solidarum motu causa est, omnes vitae actiones et mixtio humorum pendet. Praeter circulationem sanguinis etiam systole et diastole meningum quibus fluidum nerveum in omnes corporis partes protruditur, ad vitam sustinendam exiguntur. Attamen non cavuit, quin, quanquam in solidis mutationum causas poneret, mixtionem humorum primitus ab externis mutari affirmaret.

Morbi in motus alienatione consistunt, oriuntur igitur morbi, causis in partes solidas, motus causam, vim exercentibus. Motus nimius aut justo segnior fit. Motus nimius spasmus edit, segnis autem atoniam. Spasmi sunt aut universales, quo febres, inflammationes, hæmorrhagiae, catarrhi pertinent; aut partiales, quales cephalalgia, flatulentia, colica, melancholia, icterus, aut denique convulsiones. Ex atonia omnes fere morbi chronici pendent. Humor corruptiones item spasmo aut atonia efficiuntur. Ita aciditas saliaque in corpore formantur, unde exanthemata, arthritis, rheumatismus, calculi organorum uropoeticorum oriuntur. Inter morborum causas, sicut Stahl inprimis, sanguinis phethoram posuit. Etiam primarum viarum sordes magnopere respexit, cum istuc magna pars noxiorum vim tendat. Medicamentorum vires tam in solidas, quam fluidas corporis partes agere ratus est. Divisit ea in roborantia, sedantia, evacuantia et alterantia,

§. 34.

Haec doctrina Stahlium, differentiae phaenomenorum vitae ab inorganicis causam in principio quodam subtili ponentem, sequens, hujus actiones, ab hisque pendent eas partium solidarum mechanicis subjicere legibus voluit. In ficta igitur ficti nervi fluidi actione systema ejus nitebatur. Cur vero motus mechanici prae chemicis in organismo valeant, non liquet in ejus theoria, ita etiam quomodo a viribus sola motrice et renitente pendent motus mechanici mutationes humorum chemicas producere possent. At pathologia ejus nostri fere respondisset, si celeritatis et extensitatis actionum loco, roboris intensitatem in morbis alteratam putasset. His erroribus vero curandi methodum ejus non deceptam sed hodiernae probatissimae simillimam videmus.

§. 35.

Boerhave.

Herrmann Boerhave in systemate suo jatromathematicas cum chemiatricis disqui-

sitionibus conjunxit, easque praesertim in pathogeniam impendit. Principium vitae medium quoddam putavit inter spiritum et materiam, vitam autem proxime motu effici.

Simplices solidarum partium morbos ex figura et compositione partium deducendi sunt. In humoribus autem plurimorum morborum causam ponebat, eorumque vitia partim mechanica, partim chemica putabat. Inter illa sunt referendi humorum errores loci, obstructio, asperitas mechanica, cum eorum partes a natura sphaerica in angulosam, acutam formam mutantur, inter haec autem acria varii generis. Praeterea etiam plethoram, nimiam spissitudinem aut tenuitatem eorum, quasi morborum causas, respexit.

§. 36

Viro tantae perspicaciae non apparuisse id alienum, quod, cum differentia organismi a natura anorganica exigere vitae principium ei videretur, tamen omnia legibus

physicis et mechanicis in eo fieri, nullo respectu solidi vivi *lytato*, putavit, mirandum est. Attamen cum in praxi ingenium ejus vim falsae theoriae superaret, curandi methodus ejus ea erat, quam omnes experientiae probare jubent.

§. 37.

Phaenomena vitae in legibus materiae organicae propriis positae esse ex Halleri experimentis, quibus irritabilitatem et sensibilitatem indagatus est, cognoscebatur. Jam prius Franciscus Glisson irritabilitatem fibrarum animo praesumerat, non vero huic doctrinae eam lucem attulerat, qua sequentes medicos sibi conciliare posset. Cum Hallerus vero experimentis eas vires invenisset, nova forma medicinae theoriam indui necesse erat.

Sytemata inter prima, quae illis inventis ad morborum, formationisque explicacionem utebantur, illud a Christiano Ludovico Hoffmanno exstructum adferendum est. Cum Hallerus vires vitales modo musculis et

nervis, illis irritabilitatem, his sensibilitatem tribuisset: Hoffmann is stigari conatus est, quinam partes variis in incitationis gradibus irritarentur. Omnium morborum causas in incitamenti posuit. Humor corporis semper partes aliquas putrescere, hisque ex corpore evehendis organa excretoria inservire putavit. Illis autem in corpore remanentibus morbos oriri. In omnibus igitur morbis humorum depravationes adsunt. Earum duo genera statuit, acidam et putridam. Hanc praecipue saepe adesse putavit. Ita omnes febres, omnes inflammationes a materia putrida deduxit, ita etiam multorum morborum in cavitate oris et pulmonibus apparentium originem ab aëre exspirato petiit, qui sanguinis partibus corruptis evehendis repletus est.

§. 38.

Quanquam quandam verisimilitatis speciem haec theoria prae se fert, tamen reprehendendus est, quod in ea excogitanda morbos, qui humorum illis vitiis careant, et

quorum originem ulli assumptae materiae causae deberi demonstrari nequit, neglexerit. Sed etiam ejus medendi methodus probat, experientiam omnes magni ingenii medicos, non obstante theoriarum diversitatis, eadem docuisse in praxi. Nam eodem modo, quo nostri, in morbis versari praecepit, effectum praedicamentorum vi eorum antisepticae tribuens.

39.

Cullen.

Conatus, ab Hallero separatas vires ad irritabilitatem et sensibilitatem conjungendi, illamque huic subjiciendi, Culleno theoriae formandae novae ansam praebuit. Eam mere dynamicam conspicimus, cum non in humores et materiae alterationem, sed ad motus viribus vitalibus concitatis effectos adtenderet. Itaque incitamentorum in partes solidas actiones, viriumque organicarum intensitatem mutatam morbi causas putavit. Ita febres ex causis debili-

tantibus naturae conatu, talibus reagendi oriri. Quo spasmus concitatur in peripheria, ex quo temperaturae mutationes pendent. Is atonia vasorum peripheriae nititur, quae a diminuta cerebri energia originem trahit. Hanc cutis atoniam ex consensu canalis intestinorum probat, quem omnibus in febribus debilitatum conspici contendit. Distinguit autem febres reactione aucta (synocha) et eas reactione diminuta (typhus). In illis vasorum tonum auctum esse indeque spasmum augeri putabat. Species febrium ex varia morbi actione in varia organa petebat. Inflammationem in incitamento excita contractione spasmodica, exque aucto sanguinis affluxu posuit. Etiam arthritidem nervorum morbum ex atonia organorum digestionis pendentem duxit. Spasmi in cerebri laesa virtute causam habent.

Medicamenta solidorum reactione excita operantur, mediate solummodo in humores.

In hujus sicut in antecedentis Hofmanni systemate id deficere patet, quod non a legibus, quibus vires organicae pareant, exierant, ideoque conjecturis gignendis apertus erat campus. Quare non mirandum in hanc pathogeniam multa arbitraria irrepsisse.

§. 40.

B r u n o.

Bruno insigniter de medicina eo meritus est, quod primus observationes phaenomenorum viralium adhibuit ad leges certas actionis virium vitalium figendas. Necessitatem igitur actionis alternae rerum externarum (incitamentorum) cum vi, vitae phaenomeni causa, intellexit, ad vitam (incitationem) producendam. Ostendit mutationes, quas haec incitatio patitur pro incitamentorum varia quantitate, et rursus incitabilitas pro incitationis magnitudine. Invenisse igitur putabat incitabilitatis, quasi quantitatis fixae, factores duos, receptivi-

tatem et reagendi facultatem, sibi invicem oppositos esse, quoad magnitudinem, ita ut alterius incremento alterius decrementum adducatur. Eorum quidem reactionis facultati incitamenta respondere debent, ut incitatio normalis existat. Quae si illam superaverint, incitationem nimiam et cum ea decrementum recipiendi facultatis, incrementum vero reagendi oriri; si vero inferiora illi fuerint, incitationem nimis exiguam oriri, incrementumque recipientis facultatis, decrementum ergo reagentis. In incitationis magnitudine igitur posita erat morborum causa proxima. In addendis aut detrahendis incitamentis igitur sanandi erat positum momentum. Ita prorsus negligebat materiam, qua vim vitalem agere sola videmus. Et quanquam illi incitabilitatis vi et cunctas corporis esse mutationes obnoxias fatemur, tamen mechanice aut chemice ejus actiones alterantia, et incitamentorum qualitatis diversae momentum neglecta

neglecta curandi methodum non cuncta respicientem inducere necesse erat.

§ 41.

Incitationis theoria illustratio igitur non solum incitabilitatem et incitationem respiciet, sed etiam organismum, in quo incitatio fit, qui ex materiae consistens, etiam mechanicis et chemicis momentis in actionibus obnoxius est. Impedimenta igitur, quae ab his actiones forsitan patiantur, in curandis morbis remove studebit. Praeter incitamentorum quantitatem etiam qualitatem eorum respiciet, prout alia in alia organa vim insignem exercent itemque partium organismi variam relationem inter se. In hoc convenire videmus medicos clarissimos nostri temporis, quanquam alii alio modo leges incitabilitatis et incitationis fixerunt. Quinam eas rectius exposuerint, num qui Brunonem sequentes etiam illud materiae momentum non neglexerunt, ut e. g. Hufeland, an Reil, qui factorum duorum irritabilitatis non illam alternantem relationem

praesumit, morborumque causam proximam non in incitationis quantitate, sed in alterata singulorum factorum ponit; an qui ex philosophia naturalis praeceptis exeuntes Brunonis doctrinam excoluerunt, definire his plagellis non est propositum. Itaque talis incitationis theoria, quae incitationis relationem ad momenta physica ejusque diversitatem in variis organis exquirere studet, hucusque maxime eis respondere videtur, quae a medicinae theoria exigimus, scilicet ut vis, phaenomenorum, quae vitae propria cognita sunt, relationem ad causam signantis, leges exquirat, ejusque ad phaenomena inorganica relationem. Quanquam igitur in incitabilitate, tamquam hucusque summo vitae principio cognito, persistamus, attamen periculis, etiam in hanc leges physicas adhibendi, sicut illo Ackermanni, *) Beaumei **) delectari possumus, cum talia penitus in vitam organicam perspiciendi viam aperire possint.

*) V. ejus, Versuch einer physischen Darstellung der Lebenskräfte organischer Körper. Frankfurt am M. 1800.

**) Altenburger medicin. Rationalzeitung. 1799. p. 305.

T h e s e s.

I.

Nec aethenia nec hyperaethenia morbum efficere potest.

II.

Derivantium vis non in stimuli morbofi effectu tollendo est posita.

III.

Paralysis non semper methodo excitante sanatur.

IV.

Carcinomatis extirpatio morbum non tollit.

V.

Capitis laesiones cautam prognosin semper exigunt.

VI.

Saturnina in bulbum oculi non applicanda sunt.

Corrigenda

Pag.	4	lin.	4	pro designans lege designanti.
—	5	—	13	pro subternebant lege subternebantur.
—	14	—	16	p. effluentibus l. affluentibus.
—	15	—	10	pro circumfertus lege circumfertur.
—	18	—	18	pro symptomata lege symptomatum.
—	—	—	21	pro caloris lege calori.
—	19	—	4	post quae a interfere humorum.
—	21	—	13	pro membranorum lege membranarum.
—	22	—	4	pro medendo commodo lege medendo commode.
—	—	—	10	pro tum lege tam.
—	23	—	9	dele schola.
—	28	—	18	pro mixtio mutata lege mixtionem mutatura.
—	29	—	15	pro nexa fit lege nexae sint.
—	30	—	8	pro removandas l. removendas.
—	—	—	25	pro sectos lege sectas.
—	35	—	5	pro recentiones l. recentiores.
—	44	—	2	post iisque interfere quae.
—	49	—	4	pro monia lege mania.
—	56	—	21	pro varios lege varias.
—	57	—	11	pro secretiones lege secretionis.
—	—	—	13	p. contaminato l. contaminata.
—	60	—	12	pro naturam inquirere lege naturae inquire.
—	—	—	18	pro divisioni lege divisionis.
—	—	—	20	pro penderet lege penderent.
—	—	—	23	pro posita lege polita.
—	61	—	1	pro rumentis lege ramentis.
—	71	—	15	pro pendet lege pendent.
—	74	—	6	pro morbos lege morbi.
—	75	—	8	pro positas lege posita.
—	77	—	5	pro diversitatis lege diversitate.
—	—	—	8	dele ad
—	78	—	15	pro exque lege eaque.
—	—	—	17	pro nervorum morbum lege nervorumque morbos.